



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 2. Papa in vitæ periculo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



## §. II.

*Papa in vitæ periculo.*Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Nihilominus loci incommoditas, periculi gravitas, aerisque inclementia obfirmatam pugnandi aviditatem devicit; unde Julius per aliquot dies Concordiam secedere compellebatur, ubi nuncium accepit, conjurationem Florentiæ conflantam tandem fuisse detectam, quippe in Soderinum veneno necandum nonnulli conspirabant, cum enim hic vir cetera apud Rempublicam maxima auctoritate polleteret, Florentinis auctor fuisse credebatur, ut isti cum Francia foedus inirent. Equidem Papa parum hosce vulgi rumores adversus se sparsos curabat, cum enim bellandi cupiditate penitus esset absorptus, haud alia sollicitudo ejus animum occupabat, quam ut cæptos obsidionis labores perficere posset, unde quamvis non ita pridem copiis suis adfuisset, nihilo secius tamen veluti absentiam suam incubabat, moxque ad castra, haud eum remorante densissima nivium procella, revertebatur, in quodam Sacello a Mirandulæ mænibus parum distito tentoria sua figens; cum vero domesticorum suorum plures emissis tormentorum globis cæsi fuissent, & ipse tandem locum deserere coactus est, remotiorem indagaturus.

N 2

Cete-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1511.

Ceterum nequidquam impenso milites stimulandi ardore, frustra etiam proposita diripiendæ urbis spe, segnius tamen res bellica in obsidione Mirandulæ gerebatur, ex adverso Alexander Trivultius, ejusdem nominis Franciæ Marecalli Nepos, quamvis quadringentos duntaxat præsidarios numerasset, invito robore oppugnantium impetus sustinuit, potissimum vero ejus fortitudinem accenderunt sperata recentis militiæ subsidia, quæ Ciamontius adducere credebatur, qua tamen spe ex ejusdem Belliducis errore frustratus est: Is enim Bononia recedens, cum ferme mensis December ad finem vergeret, a bellicis expeditionibus cessandum existimabat, unde pro more tum stabilito exercitus suæ peditatum missum fecerat.

§. III.

*Papa Mirandula potitus, urbemque ingressus.*

*Spond. hoc  
ann. n. 1.*

*Raynald. hoc  
ann. n. 46.*

Præterea Ciamontius cæptam Mirandulæ obsidionem serius compererat, & quamvis accepto rei nuncio, nulla mora accurisset, nihilominus Pontificis solertia, qua expugnationem urgebat, longe animosior, aut saltem magis erat prospera, quam Ciamontii festinatio, qua urbi succurrere satagebat, quippe nu-  
datis